



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad
Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

Oratio Ad Sanctissimam Humanitatem Domini Nostri Jesu Christi S. Ignatio
in Colloquiis Meditationum frequenter usitata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)



ORATIO

Ad Sanctissimam HUMANITATEM
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI

*S. Ignatio in Colloquiis Medita-
tionum frequenter usitata.*

A NIMA CHRISTI sanctifica me.
CORPUS CHRISTI salva me.
Sanguis CHRISTI inebria me.
Aqua Lateris CHRISTI lava me.
Passio CHRISTI conforta me.
O Bone JESU! exaudi me.
Intra tua Vulnera absconde me.
Ne permittas me separari à Te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora Mortis meæ voca me!
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis tuis laudem Te,
In sæcula sæculorum. Amen.

A

METHO.

TIO



METHODUS
S. IGNATII DE LOYOLA

Ducens Animam ad Perfectionem

Per Exercitia Spiritualia.

PRÆPARATIO

Ad

EXERCITIA SPIRITUALIA;

*Instituenda Vespere, proximè ipsam
Religiosam solitudinem antecedente.*

Celebriora Ecclesiæ Festa suam ante se Vigiliam habent, cum in finem institutam, ut, ad Festivum ejusmodi Dies decentiùs obeundos, accuratiùs nos præparemus. Tu, mi Lector, inter dies vitæ tuæ felicissimos, illos jure suo recensere debes, quos Sacræ, quam meditaris, Solitudini tuæ destinasti. Æquum proinde erit, ut ex vespertino illo tempore, quod Exercitia proximè præcedit, partem tibi feligas, ab aliis negotiis, ut commodissimum tibi fuerit, liberam, quam ita inchoandæ celebri tuæ Solitudini impendas, ut ipsum Ejus Initium, ad reliquum decursum fructuosius faciendum, dispositio sit. Et quandoquidem ejusmodi hæc est solennitas, ut soli cum solo DEO agens

agendum sit, animum oportet ad eam afferas, omni, quoad poteris, peccatō liberum, & salutis suæ sincerè cupidum. Quem in finem Adjutricem Sancti Spiritūs Virtutem impensissimè implorabis, uti & Gloriosissimæ Virginis Matris, Beatissimi Ejus Sponsi, sancti Angeli Custodis tui, & si quem alium ex Cælitibus confidentiùs veneraris, patrocinia; sed neque S. Ignatii in hoc Patronorum delectu eris immemor, quem DEUS supremum veluti Procuratorem, & Administrum constituisse videtur illarum Gratiarum, quas Sanctæ hujus Solitudinis meritis Divina Bonitas solet indulgere. Cæterum peculiarem tibi ut Protectorem ex Cælitibus unum seligas, consultum est, quò in primis Auspice sanctos hos labores suscipias, ad quem pro varia, quam experieris, motuum, & rerum tuarum vicissitudine recurras, eâ opia ab Illo expectandæ fiduciâ, ut sanctis Ejus manibus Animam tuam pro arbitrio, in hoc Æternæ Felicitatis tuæ negotio gubernandam, plenissimè committas. Implorabis autem hujus Cœlestis Patroni tui opem quotidie, manè & vesperi, quò item tempore Ejus te Ductui de novo integerrimè permittes. Neque dubita, quin utilissimum futurum sit, quod modò tibi suasi, Præsidium; maximè, si, quemadmodum

liberum Tibi esse debet, quem ex Sanctis Patronum Tibi hunc in finem seligas, ita Illum præ reliquis acceperis, ad quem efficacius à DEO trahi te senties.

Dispositò hunc in modum animò, Intellectum jam negotio applicare incipe, & Septem, qui sequuntur, Articulos considera, utque penitus illos penetres, bis terve repetiisse non fuerit inutile.

I. Sunt, qui Vitam longè, quàm mea sit, probiorem aliquamdiu vixerunt, & remittente nihilominus fervore, ab incepto virtutis tramite, miserabili & irreparabili errore deflexerunt. Cavendum igitur mihi erit, & pro virili laborandum, ne simili, aut majori me involvam malo.

II. Cùm ex omnibus Virtutum præfidiis Ecclesia DEI non facilè efficacius aliquod Exercitiis Spiritualibus habeat, utpote quibus Anima in viam perfectionis vel dirigitur, vel si quando deflexit, in eam reducitur, in eaque magno cum profectu promovetur, æquum omnino est, ut Illis eò animi Propositò me impendam, quò fixum aliquando ratumque esse incipiat, totum me DEO meo, modò, quo fieri poterit, optimò donandi.

III. Ue-

III. Utcunque autem multum ad magnos in Via Spirituali profectus hæc Exercitia adferre possint emolumenti, diffiteri tamen nemo potest, Ea non ita passim apud Omnes virtutem suam exserere, imperiti utique vel iguari Illa obeuntis vitiò.

IV. Quisquis igitur, ad speratos in Virtute progressus, salutare sibi vult esse tam nobile Exercitium, is uti illo non debet, nisi diligentia, quâ potest, maximâ.

V. Id quod tunc quidem fiet, si aggrediatur opus cum sincero spiritualis profectus desiderio, & decretò animi firmissimò, non resistendi quocunque vocanti DEO; si integrè & assidue insistat Orationibus, aliisque Pietatis in DEUM studiis, frequenter interim implorata Divina ope, quâ adjutus accuratissimè se Ipsidem impendat; si sincerè cum Domino DEO suo agat, ita Divinas Ejus Illustrationes excipiendo, ut æstimentur pro meritis illæ, quæ manifestè in Virtutum exercitio nos promoveant; quæ verò vel tenebrarum aliquid, ut quandoque solent, secum ferunt, aut animum ad obsequendum inveniunt difficiliorem, ea ut efficaces sint, tum precibus, tum adhibitâ cum Directore communicatione, efficiendum: neque enim perseverantia in ijs, quæ nobis agenda in-

da intelligimus, speranda est, nisi planè con-
 victa mens, ita omnino agendum esse, mani-
 festè concluderit. Denique fructuosa non erunt
 Exercitia, nisi omnem aliam ex animo curam
 procul ableges, & in hoc unicè intentus sis, ne
 dæmon profectum, quem desideras, impe-
 diat, vel ad alia mentem distrahendo, vel etiam
 illa nobis persuadendo, quæ si egerimus, DEO,
 ut solutâ suavissimâ familiaritate se nobis oc-
 cultet, causam damus.

VI. Ad tam salutarem industriam ut me
 excitem, illud mecum considerabo: & DEUM
 esse, qui me invitat, & eò me propositò invi-
 tari, ut sincera voluntati, quâ auspicabor hæc
 Exercitia, velut ultimæ conditioni, Gratias
 alligaverit nobilissimas, quarum irreparabi-
 lem utique jacturam fecero, si quid debiti fer-
 voris in me deesse patiar.

VII. Quandoquidem ultimum Vitæ meæ
 momentum illa norma esse debet, ad quam
 omnes actus meos, & illud præsertim nego-
 tium par est exigere, quod rectè deinceps insti-
 tuendæ, & ad Beatum denique Finem dirigendæ
 Vitæ meæ plurimum conferre potest; pronum
 est concludere, hoc ita suscipiendum esse, ut si
 ejus postmodum copia nunquam futura sit.

Perlectis & attentè consideratis, quæ hæcte-
 nus

nus sunt proposita, DEO tuo Te offer, sed ita seriò, ut ad imminens Salutis tuæ negotium, ex parte tua id omne afferas, quod per vires tuas afferre est integrum; adde Preces etiam, sed ardentissimas, & plenas grandis de Divina Bonitate fiduciæ, quibus Infinitam Ejus Liberalitatem ita tibi studebis conciliare, ut sperare possis, infundendos tibi Divinarum Gratiarum imbres, pro eo ac indigebis, liberalissimè.

Jam & Viginti illas Annotationes perlege, quas initio Libelli Exercitiorum invenies, ad Instructionem illius, qui obit Exercitia, fervientes. Quietè illas, & attentè considera, & multum solatij inde ac doctrinæ colliges. In hoc autem Libro sub finem eas invenies, post omnes alias, ut vocabimus, *Annotationes*, quò etiam in loco quædam alia ex Libello Sancti Ignatij *selecta* invenies, quorum lectio in singulos Solitudinis tuæ Dies distributa est. Sed & ex Libro Primo Thomæ Kempensis Caput Vigésimum leges, quod præ reliquis ad Sanctum quoddam Religiosæ Solitudinis tuæ studium te suaviter invitabit, & animum ad utilem Ejus usum efficaciter disponet.

Tandem & *Veritates* exceptas ex Spiritualibus Sancti Ignatij Exercitijs leges, ut & illa, quæ inferiùs super Ordinem Diurnum afferemus,

mus, electurus pro arbitrio tuo, utrum ex duobus, quos proponemus, observare, vel an alium, ab utroque diversum, tibi contexere sit commodius.

Addes, si otium quidem habes & desideras, *Annotationem* aliquam, quam citatam ibidem invenies.

Post Cœnam Primæ Diei Occupationes leges cum monito, quod Primæ Meditationi præmittitur, & ipsam deinde Meditationem de Creatione Hominis, ac ejus, si ita opus est, Compendium.

Annotatio Quarta, quæ est de Examine supra Meditationem, legi debet post Primam Meditationem, ut intelligas, quâ ratione ejusmodi Examen deinceps opus sit institui.

VERITATES

EXERCITIORUM

SANCTI IGNATII.

EN tibi illæ, Bone Lector, justo ordine desumptas ex Meditationibus, ex quibus clarè deducuntur, Earumque soliditas infallibili nexu demonstratur. Singulas, suò quamque locò, alibi explicabo, & in ipsis Meditationibus, tanquam in Fontibus quibusdam suis, con-

tentas

tentas ostendam. Sunt autem omnes ita sibi mutuò colligatæ, ut quævis ab ea, quam proximè sequitur, tanquam à Principio suo pendeat, & veluti Conclusio per necessarium assensum inferatur, eâ quidem lege, ut sola Prima cœterarum sit Principium, non aliunde illata; sola postrema sit Conclusio, quin alterius cujuscumque sit Principium. Reliquæ omnes duplici funguntur munere, nempe, ut quævis sit & Principium sequentis, & Conclusio præcedentis. Et hoc Verba illa significant, quæ singulis, ultimâ solum demptâ, seorsim subjuncti, tanquam indicia nexûs illius, quò posterior priorem necessariò sequitur; jucundius autem aliquid lectoris gratiûsque facturos nos speravimus, si Veritates istas ita sibi mutuò cohærentes exhiberemus, ut Discursum aliquem non interruptum videantur conficere.

Porrò Prima Veritatum earum, Articulus Fidei est, & solidissimum Christianæ Religionis Principium. Eam à Sancto Spiritu excepit Sanctus Ignatius, & Vitæ Perfectioris studiosis, velut primum Spiritualis totius Fabricæ Fundamentum proposuit. Reliquæ omnes Illi inniuntur, & ex ea, per necessariam consequentiam deductæ, firmitatem & evidentiam participant.



I. Veritas.

Creatus est à DEO Homo, ut beatus sit, hac lege, ut mereretur hanc Felicitatem suam, Voluntatem Creatoris sui aliquamdiu exequendo; futurus è contrario æternæ pœnæ obnoxius, si DEI Legislatoris Præcepta auderet rebellis contemnere.

II. Veritas.

Quare
Quisquis peccat graviter, æternam Salutis suæ jacturam facit, nisi DEUS peculiari quadam Clementiâ auxilietur perditio.

III. Veritas.

Et proinde
Periculosissimè obnoxium me feci Infelicitati, quæ infinitâ quadam malorum serie formidabilis est.

IV. Veritas.

Igitur
Nulli studio parcendum est, ut omni me Salutis periculô expediam, quamdiu id agendi facultas suppetit.

V. Veritas.

Atque ideo

Pla-

Placandus mihi Judex meus est, quamdiu adhuc est placabilis.

VI. Veritas.

Quâ de causâ

Vitam oportet me instituere ita bonis Actionibus ornatam, ut ad expianda, quæ hæcenus malè facta sunt, sufficiant.

VII. Veritas.

Idcirco

Revertendû est ab hoc momento ad DEUM in spiritu Contritionis, & serviendum Ipsi integrè, in rebus, quantumvis minimis, implendo sanctissimam Ipsius voluntatem.

VIII. Veritas.

Quod ut fiat

Imitari deinceps Christi Vitam debeo.

IX. Veritas.

Et per consequens

Obedire debeo perfectissimè, & ad Annihilationem usque me demittere, duramque amplecti Paupertatem.

X. Veritas.

Quem in finem

Sub Redemptoris mei Signis vivendum est,
&

& Sanctissimis Ejus Exemplis mores mei conformandi.

XI. Veritas.

Propterea

In omnibus meimet Annihilationem querere debeo, eamque, quoties occurret, si sine Divinæ Gloriæ detrimentô possit fieri, impleri oportet.

XII. Veritas.

Quin imo

Nullam omitti fas est occasionem annihilandi memetipsum, quamdiu sine Divinæ Gloriæ detrimentô potest fieri.

XIII. Veritas.

Id ut effectui deo

Integrè mihimet mori debeo, & ad omnium Virtutum supremum apicem contendere, nulli labori, nulli operæ parcens.

XIV. Veritas.

Atque adeo

Si integrè mihi moriar, vivet in me JESUS & ego in JESU.

XV. Veritas.

Et sic demum

Conversatio mea in Cœlis erit.

XVI. Veritas.

XVI. Veritas.

Vnde tandem

Terra cum omnibus Creaturis suis nihil mihi
 oberit, quin & ad DEUM ut quotidie tendam,
 efficiet. Ita, cum profectus in virtute par sit
 futurus Gratiarum, quas DEUS concedet, Am-
 plitudini, perfecte Conditori meo placebo, &
 gloriosis passibus ad Felicissimam cum Ipso U-
 nione pergam, qui solus est Summum & Uni-
 cum Bonum.

Et hæ tandem Veritates illæ sunt, quas ex
 S. Ignatij Meditationibus excerptas, ita ordina-
 tim volui exhibere, ut omnium inter se nexus
 appareret manifestius, duplici ex Capite com-
 mendabilis: primùm quòd admirabilis sit, tum
 quòd Rationi quàm maximè conformis. Ad-
 mirabilis quidem, quòd animam ad supremum
 virtutis apicem suavissimè simul & efficacissi-
 mè deducat. Conformis autem rationi nostræ,
 quòd ex illa, quam quævis proximè sequitur,
 tanquam ex Principio suo necessariò deducatur.
 Id quod explicatiùs in Prima Annotatione vi-
 dere est, quæ huc tanquam ad locum proprium
 pertinet. Ego hîc non nisi Titulum, & initialia
 Ejus Verba ponere volui, in illorum gratiam,
 qui totam legere desiderant. Habetur autem
 integra post Octavum Exercitiorum Diem.

I. A N.

I. ANNOTATIO

Series Ordinata Exercitiorum S. Ignatij, & Veritatum, quas Illa continent.

Percurramus, si placet, omnes Exercitiorum Medicationes &c.

II. ANNOTATIO.

Finis Exercitiorum, & quâ ratione in Quatuor Hebdomades divisa sint.

Finis & Scopus &c.

M O N I T A

Circa Ordinem Diurnum, quem habere oportet & observare.

ITa generatim hanc Actionum quotidianarum seriem Ordinem Diurnum dicimus, quia communi quodam modo ad omnes Solitudinis hujus Dies se extendit, Singulis accommodata. Ideo maximè præscribitur, quia, quod sine ordine & pro variabili humanæ mentis, varia sine ordine volentis, libidine fit, nunquam felices ceteram DEO successus habet. Si proinde fructuosè Exercitiis vacare cupis, in id unicè incumbe, ut convenientem quotidie Actuum tuorum ordinem religiosè observes. Ego duplicem exhibeo, unum, qui Quartâ Matutinâ surgentibus, alterum, qui ad Quintam usque

usque dormientibus serviet. Nolim quidem obligare quempiam ad utrumvis observandum, tam nihilominus id studiosè suaserim, quàm ardentè quisque obire cum fructu desiderat, quæ cœpit, Exercitia; atque adeo Horas Diei ita velim distribuatur, ut habitâ sanitatis, & necessitatis ratione, plurimum temporis illis impendat negotijs, quæ ad majorem profectum Animæ suæ intellexerit esse saluberrima. Experiatur, quàm liberalis sit Divini Remuneratoris Bonitas, quisquis hoc in puncto fidelem se DEO suo præstiterit.

Cæterùm illud Te adhuc monitum velim, Bone Lector, diligenter ut aliquem diaboli astum caveas, qui in hoc totus esse solet, ut optima, quæ concepimus, Proposita importunus ipse turbet. Quod si enim efficere hoc non potuit, ut te præpediret, quò minùs tempus tibi aliquod sumeres cum solo DEO tuo familiaris agendi, saltem hoc omni studio conabitur, ut tam sancto negotio non eâ, quâ fas esset, diligentiam te impendas: neque aliud curabit solertius, quàm ut Ordinem Actionum tuarum, quem observandum tibi injunxisti, turbes aliquando. Hunc in finem præter Infirmi-
tatem mille alia obtendet, quæ excusare videbuntur, si alio, quàm quò statueras tempore, quid.

quidquam aggrediare. Omnium subtilissimum argumentum erit, plus Devotionis, & teneri illius sensûs te experturum, si non ad Ordinis tui Præcepta, sed ex arbitrio agas, quæ agis, & quandoquidem Exercitia eo fine ingressus sis, ut tangi à DEO mentem tuam, & ad Illum Paterno hoc tactu invitari Te sentias, utique consultum esse, illud agendi cum DEO tempus operiri, quod obtinendis ejusmodi Divinis il-lapsibus accommodatius videbitur; atque idcirco expedire, jam hoc vel illud tali vel tali modo agere, ut amplius aliquid Cœlestium Deliciarum experiare. Cave, inquam, huic Consultori ut credas aliquando: sed si quem semel Ordinem tibi conscripsisti, eumque, adducto in consilium etiam spirituali tuo Directore, ratum habuisti, eum ita religiosè ut observes expediat, ut neque tædiò quodam animi, neque solò aliud pro libidine agendi arbitriò, neque majoris Solatij obtinendi spe inducaris, ad turbandam, quam tibi præfixisti, Actuum tuorum seriem, adeoque nihil omnino sit, quod ut immutes in ea aliquid, persuadere tibi valeat, præter unicam, eamque non commentitiam necessitatem, quam prævidere satis non poteris. Neque sanè opineris velim, parùm id interesse, omittere ex ijs, quæ agendi pro

proposuisti, aliquid, vel præfixum duobus v. g. Exercitijs tempus ita pro arbitratu tuo disponere, ut, quod primo, vi ordinis tui, debebatur, id tu alteri tribuas, vel è converso. Hac animi inconstantia, nescio quâ infelicitate teipsum à DEO tuo quodammodo separas, qui peculiari quadam Benevolentia prosequi solet illas prætim animas, quas legibus suis, & idcirco Divinæ Majestati suæ ex integro amabili quadam simplicitate subjectas videt. Nolim igitur aliâ tecum ipso dispensatione in hoc negotio utaris, quàm illâ, quæ à necessitate cùm imperetur, etiam Directori tuo displicere non potest.

ORDO DIURNVS

Pro Surgentibus Horâ Quartâ.

Ante Prandium.

IV. Surgis.

Mediâ V. Prima Meditatio Horaria.

Mediâ VI. Examen Meditationis, ad quod conducet legere Annotationem quartam.

Tertio Quadrante ad VI. Primam & Tertiam recita ex Officio Ecclesiastico, vel Beatissimæ Virginis.

VI. Lege ex libello Exercitiorum, id quod singulis hebdomadæ diebus assignatum reperies.

B

Qua-

Quadrante post VI. lege ex libello Thomæ Kempensis assignatum cuius Meditationi Caput.

Mediâ VII. lege Dissertationem occurrenti Diei destinatam.

Tertio Quadrante ad VII. Præparabis te ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

VII. Sacrum, & Gratiarum actio.

A Tertio Quadrante ad VIII. usque ad medium IX. Considerationem institues, cujus materiam habes paratam in singulos hebdomadæ dies: nisi velis differre hoc Exercitium, idque à media II. Vespertina usque ad medium III. obire, ejusque loco nunc pium aliquid legere.

Mediâ IX. Sextam & Nonam recita.

Tertio Quadrante ad IX. Præparatio ad secundam Meditationem.

IX. Secunda Meditatio instituitur.

X. Discussio Meditationis.

Quadrante post X. Lectio Thomæ Kempensis accommodata præsentis Meditationi, vel aliquid ex Dissertatione hujus Diei.

Mediâ XI. Examen Conscientiæ.

Tertio Quadrante ad XI. Prandium.

Diebus Jejuniorum à media XI. usque ad mediam XII. mediam horam scribendo, reli-

quum

quum legendo infumes, consultò hac super re spirituali Directore tuo, nisi fortè malis quidpiam aliud inter unam & alteram Meditationem simile interserere, & hanc posteriorem partem convenientiùs differre.

Post Prandium.

Tempore refectionem proximè sequente recreabis nonnihil animum, religiosè cum spirituali Patre tuo colloquendo, vel cum alio quopiam ex ejusdem Patris tui consilio. Quòd si solus hoc tempore esses, cave intendas vehementer animum; respira potiùs, & ab illa animi contentione tantisper interquiesce, dum concoctionem stomachus ordiatur. Poteris hoc tempore externi operis aliquid assumere, quod & ad humiliandum te faciat, & singularem animi applicationem non desideret. Quòd si in proximo locus est, ubi Venerabile Sacramentum asservatur, consultum erit, ad illud salutandum, tantisper discedere, absque violenta tamen mentis attentione, qualem si negotium requirit, illud hac horà intermittas velim.

I. Rosarium dices.
Quadrante post I. Ad tertiam Meditationem te preparabis, siquidem, cum quartâ matutinâ



tinâ surrexeris, virium tibi satis est, ad quatuor per diem Meditationes obeundas; quòd si infirmior es, Læctioⁿi Novi Testamenti, consultò super hoc spiritali Directore tuo, hoc tempus tribues.

Med. II. Meditatio, aut Læctioⁿi Novi Testamenti, quam tamen ne cursim & perfunctoriè feceris, sed quietè, & quàm potes consideratissimè. Vel si ita Directori tuo videbitur, Considerationem in singulos dies præscriptam hîc institue.

Med. III. Examen Meditationis.

Tertio Quadrante ad III. Vesperæ dicantur & Completorium. Tum visitabis Venerabile Sacramentum: Leges ex Thoma Kempensî Caput Meditationi præteritæ accommodatum: Vel aliquid ex Dissertatione hodiernâ, vel aliud quiddam, ut Moderatori tuo placuerit.

IV. Dices Matutinum & Laudes.

Tertio Quadrante ad V. Præparatio ad quartam Meditationem.

V. Meditatio.

VI. Ejus Examen.

Quadrante ad VII. Læctioⁿi Thomæ Kempensî conveniens ultimæ Meditationi, vel etiâ Dissertationis hodiernæ aliquid pervolve.

Medi

Mediâ VII. Cœna.

VII. Si occasio est agendi cum Directore tuo, studiosè tecum repete, quidquid bonorum sensuum Divina tibi Bonitas per diem indulgere voluit. &c.

Tercio Quadrante ad VIII. Vide, si quid peculiariter advertendum habeas circa primam crastinam Meditationem, idque attentè relege.

VIII. Dicuntur Litanix Omnium Sanctorum, vel Beatissimæ Virginis.

Quadrante post VIII. ad Meditationem in crastinum te dispone.

Mediâ IX. Examen Conscientiæ.

Tercio Quadrante ad IX. Ad somnum te compone.

Quod si interdiu defatigatum te senties, horam quietis illam sume, quæ inter III. & IV. est mediâ, quâ deambulare ad liberam auram in horto, vel alio loco quodam solitario, vel etiam Exercitij corporalis aliquid assumere, concessum esto.

ORDO DIURNVS

Pro Surgentibus Horâ quintâ.

Ante Prandium.

V. Surgis.

Mediâ VI. Prima Meditatio.

B 3

Med.

Med. VII. Examen Meditationis.

Tertio Quadrante ad VII. Primam & Tertiam recita ex Officio Ecclesiastico, vel Beatissimæ Virginis.

VII. Lege ex libello Exercitiorum, quod pro quoque die annotatum est.

Quadrante post VII. lege ex Thoma Kempensi Caput assignatum pro Meditatione, quam obivisti.

Med. VIII. Lege Dissertationem occurrentis diei destinatam.

Tertio Quadrante ad VIII. Præparabis te ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

VIII. Missæ Sacrificium, & gratiarum actio.

Tertio Quadrante ad IX. Præparatio ad secundam Meditationem.

IX. Secunda Meditatio.

X. Examen Meditationis.

Quadrante post X. Sextam & nonam.

Media XI. Examen Conscientiæ.

Tertio Quadrante ad XI. Prandium.

Diebus Jejuniorum, si geminas tuas Meditationes horis, quibus alijs diebus soles, obeas, poteris à Media XI. usque ad mediam XII. ex Consilio Directoris, partim aliquid scribere, partim legere, vel certè illo, quod utramque Meditationem intercedit, tempore, potest fieri.

con

consideratio huic diei tali affixa. Quòd si Conscientiam non nisi vesperi excutias, leges à medià XI. aut Caput ex Thoma Kempensi, quòd Meditationi respondeat, aut Dissertationem diei assignatam.

Post Prandium.

Solutò Prandiò animum nonnihil relaxabis, piò aliquò cum Patre spirituali, aut cum alio, quem hictibi adjunget, colloquio: si solus moraberis, respira, captando liberiores auram. Deambula parumper, aut avocatò ab omni ferià applicatione animò suaviter quiesce. Assume etiam aliquid externi operis, humilitatis, studiò. Ad salutandum Venerabile Sacramentum discede.

Tertio post Meridiem Quadrante leges ex libello Thomæ Kempensis Caput, præterita Meditationi accommodum, nisi illud jam ante Prandium legeris, aut Dissertationem diei præscriptam.

Horà I. recita Rosarium.

Quadrante post I. consideratò leges aliquid ex Novo Testamento, quòd te ad Servatoris nostri amorem impellat; & conaberis intus sentire, & gustare affectus, quos hæc Lectio excitabit.

Horà II. institue Considerationem, huic diei debi-

debitam, illamque ad tres quadrantes, vel etiam usque ad horam III. extende.

Horâ III. aut tertio quadrante ad illam Vesperæ & Completorium: sequitur Visitatio Venerabilis Sacramenti; Lectio Dissertationis diei, aut alterius ex consilio Directoris.

IV. Matutinum & Laudes.

Tertio Quadrante ad V. Præparatio ad Meditationem.

V. Meditatio.

VI. Examen Meditationis.

Quadrante post VI. Lectio Thomæ Kempensis pro Meditatione peracta, aut Dissertationis diei.

VII. Si non sit copia communicandi cum Directore, recole pios sensus, quos per diei cursum Divina Bonitas indulsit.

Die Jejunij à Prandio omnia unâ Horâ tardiùs obibis, & Collationem Quadrante post VII. facies.

Tertio Quadrante ad VIII. vide, an non aliquid notatum sit pro sequentis diei Meditatione, quod legendum erit.

VIII. Litanix Omnium Sanctorum, aut Beatissimæ Virginis.

Quadrante post VIII. præparabis te ad sequentis diei Meditationem.

Mediâ

Media IX. Examen Conscientiæ.

Tertio Quadrante ad IX. concede cubitum.

Hoc ordine tres tantum Meditationes complexus sum : cui animus & vires suppetunt, etiam quartam addendi, poterit duas obire post Prandium eo modo, quem ordo præcedens observat; & spatium aliud reperiet, quod Considerationi impendat.

Quod si verò aliqua quiete opus habeas, opportunum erit illud tempus, quod ab hora III. ad IV. decurrit, quò licebit aut in horto, aut alio solitario loco, deambulare, vel si tibi commodum erit, utere aliquo corporali Exercitio.

Quanto Studio, durante Exercitiorum tempore, Puritas Animi procuranda sit.

Incarnatæ Sapientiæ Doctrina est; *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt:* ut si docere nos hoc effato voluisset, DEUM, cum sit ineffabilis & increata Puritas, aspectabilem non esse, nisi oculis itidem, quantum creatis quidem mentibus fas esse potest, purissimis. Et hoc est, quod te monitum volui, mi Lector, quando sub initium Præparationis tuæ ad hanc sanctam solitudinem dixi, ut animum,

omni immunem nexo, ad hanc rem, quam meditaris, afferre studeas. Idem est, cujus jam nunc iteratò memoriam tibi refrico, veritus, ne illorum fortè consilium sequare, qui cum sciant, tempus exonerandæ per longiorem Exomologesin conscientia, illud esse commodissimum, quo Prima Exercitiorum hebdomas concluditur, eò usque etiam ipsam Confessionem differunt. Quo in negotio, si me quidem Consiliarium adhibes, quemadmodum suadere non possum, ut nullam omnino Meditationem instituas, priusquam in plenam cum DEO gratiam redieris, si id efficere non possis, nisi instituto longo admodum vitæ tuæ examine, quod neque differri in aliud tempus, neque fieri facile ante initium Exercitiorum possit; ita omnimodo consultum judico, sub ipsum Sanctæ solitudinis ineundæ initium DEO te reconciliare ut studeas; siquidem facile id sit, & molesto longoque Labore non indigeat. Perdit enim non mediocrem gratiarum thesaurum, quisquis ita redire ad DEUM suum cunctatur, felicitati utique futurus, si ad excipiendos Divinos illos imbres citò se disponat, quos in Candidas & illimes animas Indulgens DEUS solet effundere. Quin, si quid monitis meis dabis fidei, neque venialem in animo tuo Labeculam tolerabis.

cujus

cujus, ut primùm memineris, non unâ etiam per actum Charitatis, contritionis, aut Pœnitentiæ Sacramentum eluendæ, sis studiosus.

Et ista quidem, quæ initio Exercitiorum tuorum monitum te volo, ita putes esse dicta, ut de toto quoque eorum decursu intelligenda judices. Simul igitur, ac aliquid aspersum tuæ menti deprehenderis, purissimis Divinæ Pulchritudinis oculis adversum, illud illico ita studebis extinguere, ut Sanctissimæ Creatoris tui Majestati sis acceptior, & accipiendis à Liberalissima illius Manu divinis favoribus capaciorem te exhibeas.

